



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XLV. Eloquentiæ studiosis Cic. assiduè esse legendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

XLV. ELOQUENTIÆ STUDIOſIS

Ciceronem assidue esse legendum.

EXORDIUM à *damnis*, quæ incurrit iuventus, quando studia sua non instituit certo ordine & modo, nec unum aliquem authorem præ cæteris sibi proponit imitandum: Fit enim, ut dum conſectantur omnia, nihil admodum capiant: aut dum errant in deligendo quem sequantur, jejuni, steriles, duri, verbosi, sine eleganti sententia evadant, ac tempus sumtusque parentum pessimè collocent.

PROPOSITIO: Quæ cum omnia caveri posse animadverterem, si Ciceronem assidue legant studiosi, eius assiduam lectionem vobis commendabo.

CONFIRMATIO. Utillimè Ciceronem à studiosis lectitari ut credam, adducor his argumentis. **PRIMUM**, quia cerno innumeros & clariss. nostræ ætatis viros fateri, se id quicquid sunt Ciceronis lectione effectos. **SECUNDUM**, quia omnium propè consensu habetur præstantissimus Latinitatis auctor & fons amplissimus; ut procul dubio inde purius hauriatur, quàm ex rivulisturbatis. **TERTIUM**, quia abundat verbis puris, usitatis, illustribus, vitat obsoleta, aspera, impropria. **QUARTUM**, Sapiientissimas miscet sententias, ex eoque addiscere licet copiam, brevitatem, suavitatem, acrimoniam, perspicuitatem, subtilitatem, & si qua alia conformandæ orationis virtus. Ut rectè Quintilianus ipsum summo statuerit loco, in quo multorum ac præstantium virtutes emineant; vis Demosthenis, copia Platonis, suavitas Isocratis, & quæcunque ullo in genere laus Oratoris unquam fuit: imò dicit ipsum omnium esse candidissimum, & ita apertum, ut amari possit: qui cui valde placebit, *Lib. 12. c. 10. Cicero in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentissimus. Lib. 2. c. 5.*

Lib. 10. c. 1.

multum profecisse eum Fabius idem iudicat. **QUINTUM**, in toto Cicerone vix quidquam invenias aut sordidum, aut honestati minus consentaneum; sed ita verecundè & honestè effert id, quod quis fortè censeret minus honestum, ut etiam Christianos quosdam in hac re longissimo post se intervallo relinquat.

In PERORATIONE monebis Auditores, ut hunc quo nemo in omni tractandi dicendique genere plura scripsit eloquentius, nemo sermonis proprietate & elegantiâ, nemo verborum collatione meliore, nemo perspicuitate majore, nemo ad communem usum accommodatius, legant diligenter, & virtutes eius imitentur, atque, ut ille fecit, animum honestis & necessariis artibus variâque rerum optimarum cognitione, sine qua disertus haberi nemo potest, instruant.

XLVI. DEHORTATIO AB AVCUPANDA inani gloria & laude.

Hier. ad Eustochium.

IN EXORDIO dices, velut umbrâ corpus, ita gloriam ubique etiam in intimas solitudines sequi virtutem, ut eam maeter & perdat.

Matt. 6. v. 1. Constit. nov. c. 11.

In PROPOSITIONE: Te igitur Auditores ab hoc periculoso & pernicioso humanæ gloriæ morbo, ab inani, inquam, gloriæ, dehortaturum.

CONFIRM. I. Locus ab effectis. Quod nos omnibus virtutum thesauris, & beatitudine æterna exspoliet. Clarè enim Christus dixit jejunantem, orantem, vel eleemosynas dantem ut videatur ab hominibus, recepisse in hoc mundo mercedem suam, ac idcirco frustra expectare æternam. Hac de causa B. Basilii vanam gloriam dulcem omnium spiritualium operum spoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depravatricem, &c.